

1509 Aloisius Patrum jussu postero die Taurisum profectus, quod rumor attulerat, Maximilianum suos se in fines recepisse, præmisso tabellario, qui, ubi rex esset, quoque se venire vellet, sciscitaretur: alteris regis literis certior factus est, nolle amplius Maximilianum cum eo colloqui. itaque Taurisi paucos moratus dies, a Senatu revocatus domum rediit. Gaspar etiam Severinas, de quo supra dictum est, ab incolis in oppidum Citadellam introductus, dum se ad Maximilianum Pandulfus Malatesta contulisset, missis ad urbem internunciis Senatui se obtulit: neque tamen est receptus, ob levitatem atque inconstantiam, qua nimia usus fuerat. Serravallium interea, Castellumque Francum recipiuntur, pulsus ab altero non sine cæde prope quingentis Maximiliani militibus, in altero omnibus ad unum interfectis. Erant autem ex Hispania milites centum quinquaginta: & sunt oppida Patavio in septentriones versus. A meridie fere autem Montanianum in Patavinis finibus, & Lemniacum, quod est ad Athesim flumen, in agro Veronensi, ejectis hostibus reipublicæ insignia sustulerunt. equitatusque ab Alfonso Ferraria emissus, ut ejus oppidis præsidio esset, a militibus reipublicæ & agricolarum manu disiectus interfectusque est, eorum duce capto, ad urbemque missus. Lemniacum petente civitate per legatos ab imperio Veronensium, in quo erat, liberum a Senatu factum est: permissumque iis, ut a magistratibus ab urbe ab se mittendis regerentur. Prætor quoque, qui jus Patavinis diceret, comitiis majoribus creatus est Petrus Balbus civis prudentia moderationeque insignis, qui haud multo antea illum ipsum magistratum obierat.

Julius Pontifex Maximus cognitis magna cum molestia reipublicæ prosperis rebus, Dominico Grimano, Hieronymo Donato ad se vocatis, animi agritudinem diffimulans, ostendit cupere se, ut Taurisum Forumque Julii reipublica ne amitteret: seque ejus rei auctorem apud Maximilianum fore pollicetur: atque ad sacra legatos reliquos, qui domi detinebantur, admitti imperat. Ac tunc qui-